

## Varroniana.

### I.

Ad libros antiquitatum divinarum.

Cicero *Tusculanarum disputationum* I c. 12, 28 sq. de hominibus propter virtutem in caelum receptis ita scribit: *et nostrorum opinione Romulus in caelo cum dis agit aevum*, ut famae adsentiens dixit Ennius, et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Occanum Hercules tantus et tam praesens habetur deus; hinc Liber Semela natus eademque famae celebritate Tyn-  
 daridae fratres, qui non modo adiutores in proeliis victoriae populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. quid? Ino Cadmi filia nonne Λευκοθέα nominata a Graecis Matuta habetur a nostris? quid? totum prope caelum, ne pluris persequar, nonne humano genere completum est? (13, 29) si vero scrutari vetera et ex iis ea quae scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner, ipsi illi maiorum gentium di qui habentur hinc profecti in caelum reperientur. quare quorum demonstrantur sepulcra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae traduntur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelleges. In his inesse aperta eruditionis Varronianae vestigia demonstrabo. Primum cum illis quae de Leucothea et Matuta exponuntur conferas ea quae ex Varronis *de gente p. R.* libris sumpta servavit Augustinus *de civ. dei* XVIII 14 (= fr. 21 p. 72 Kettner)<sup>1</sup>: *uxor autem regis Athamantis quae vocabatur Ino, et eius filius Melicertes praecipitio spontaneo in mari perierunt et opinione hominum in deos relati sunt, sicut alii homines eorum temporum, Castor et Pollux. Illam sane Melicertis matrem Leucothean Graeci, Matutam Latini vocaverunt, utrique tamen putantes deam.* At, inquires, Cicero volgarem

<sup>1</sup> Ad Varronem haec pertinere frustra negat Frickius 'Die Quellen Augustins im XVIII. Buche seiner Schrift de civ. dei' Hörter 1886 p. 39 sq.

fortasse secutus est de hac dea opinionem. Vide tamen, an reconditiorem prodant doctrinam quae sequuntur verba. Enimvero notitia deorum, quos maiorum gentium deos haberi dicit, unde Ciceroni venerit nisi ex Varrone nescio. Quamquam enim in antiquitatum divinarum quae hodie extant fragmentis de illo deorum nomine nihil aperte traditur, tamen occulta quaedam vestigia ipsum illud nomen ibi scriptum fuisse produnt. Augustinus enim ubi de diversis quae Varro constituebat deorum generibus refert, saepissime ita loquitur, ut quasi digito in vocabulum a Cicerone usurpatum monstret. Varronem enim libro ultimo egisse notum est de dis selectis, quorum potestas cum ceteris praestaret ex horum numero eos exemit sive selegit. De hoc igitur diverso honorum gradu audi loquentem Augustinum VII c. 3 (p. 277, 17 Domb.) *cum igitur in his minutis operibus, quae minutatim diis pluribus distributa sunt, etiam ipsos selectos videamus tamquam senatum cum plebe pariter operari, et inveniamus a quibusdam diis, qui nequaquam seligendi putati sunt, multo maiora atque meliora administrari quam ab illis qui selecti vocantur: restat arbitrari non propter praestantiores in mundo administrationes, sed quia provenit eis, ut magis populis innotescerent, selectos eos et praecipuos nuncupatos. Unde dicit etiam ipse Varro, quod diis quibusdam patribus et deabus matribus, sicut hominibus, ignobilitas accidisset. Ita saepissime alibi, velut VII 33 tanquam in senatum deorum selecti, VII 15 cur Arieti et Tauro et Scorpioni . . . nullas aras fecerunt, nec deos, non dico inter hos selectos, sed ne inter illos quidem quasi plebeios habuerunt? VII 3 sibi ergo adversata est (Fortuna), quae alios (deos) nobiles faciens nobilitata non est VI 2 et nimirum multo plus praestant (sc. Vitumnus et Sentinus), cum sint ignobilissimi, quam illi tot proceres et selecti. Cf. VI 2 p. 274, 18. c. 3 p. 276, 23sqq.* Quibus testimoniis ipsum Varronem magnos deos, quos etiam Consentes appellabat, et inferioris gradus deos contulisse cum patriciis illis maiorum et minorum gentium certo efficitur. Sed quid multa? via compendiarum ad eundem finem perducimur ab eodem teste: Augustinus enim VIII 5 postquam celeberrimam illam de Numae libris combustis fabellam iam antea (VII 34) secundum Varronis Curionem loghistoricum copiose enarratam breviter repetivit, ita pergit: *in eo genere sunt etiam illa, ut aliquid de Numa mitius suspicemur, quae Alexander Macedo scribit ad matrem sibi a magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta, ubi non Picus et Faunus et Aeneas et Romulus*

*vel etiam Hercules et Aesculapius et Liber Semela natus et Tyn-  
daridae fratres et si quos alios ex mortalibus pro diis habent, sed  
ipsi etiam maiorum gentium dii, quos Cicero in Tuscu-  
lanis tacitis nominibus videtur adtingere, Iuppiter, Iuno,  
Saturnus, Vulcanus, Vesta et alii plurimi, quos Varro cona-  
tur ad mundi partes sive elementa transferre, homines  
fuisse produntur. timens enim et ille quasi revelata mysteria pe-  
tens admonet Alexandrum, ut cum ea matri conscripta insinuaverit,  
flammis iubeat concremari.* Similiter idem de consensu evangelistarum  
I 22, 33. Vides igitur Augustinum Ciceronis sententiam interpreta-  
turum afferre Varronis de dis selectis sive praecipuis doctrinam<sup>1</sup>.

Haec Augustini verba duplici usus consilio exscripti, pri-  
mum quibus Ciceronis sententiam illam illustrarem, deinde ex  
quonam auctore ea ab Augustino sumpta essent quaesiturus. Cave  
enim fallaci ductus specie credas ex Varrone ea sumpta esse  
propterea quod eius nomen semel in verborum contextu occurrit:  
cuius rationis non maior fides sit quam si quis Varronianam doc-  
trinam in eis quae de Numae libris praecedunt sane apertam  
necessario continuari his quae de Alexandri epistola in simili  
argumento proferuntur pro certo affirmare velit: lubrica haec est  
ratio, quam si quis non caute atque circumspecte adhibebit (ut  
saepe fit), aut dubia proferet aut longe a vero aberrabit. Proinde  
nos excutiamus testimonia<sup>2</sup>. Minucius Felix c. 21, 3 *Alexander  
ille magnus Macedo insigni volumine ad matrem suam scripsit,*

<sup>1</sup> Varronis scripta etiam alibi a Cicerone in usum vocata esse  
alio capite demonstrare conabor. Quamquam non permulta expec-  
tanda esse concedet, qui amicitiam, qua se cum Varrone coniunc-  
tum esse Cicero saepius affirmat, simulatam magis quam veram fuisse  
cogitabit: nimirum Cicero se non ut eloquentissimum ita doctissimum  
Romanorum praedicari aegre ferebat, Varro, ut erat acti temporis lau-  
dator paene difficilis et morosus, Ciceronis eloquentiam, quam ceteri  
admirabantur, respuebat. Talium virorum non artum poterat esse so-  
dalicium. Ceterum deorum veriloquia quae Cicero affert l. *de natura  
deorum* II c. 25—27 ex Varronis scriptis petita esse quam vere conie-  
cerit Duemmler Academicorum p. 130, 1 amplius quaerendum censeo:  
equidem harum etymologiarum praeter tritissimas (ut Κρόνον a Χρόνω,  
Iovem a iuvando) ne unam quidem in Varronis fragmentis quae quidem  
noverim me legere memini, quod casui tribuere non audeo, quam-  
quam Varronem in eiusdem vocabuli etymologia proferenda non semper  
sibi constitisse probe scio.

<sup>2</sup> Cf. Muellieri FHG II 331 sq., ubi locus primarius Minucii, quem  
iam attulerat Fabricius bibl. Gr. III 28 Harl., omissus est.

*metu suae potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: illic Vulcanum facit omnium principem et postea Iovis gentem. Saturnum enim, principem huius generis et examinis, omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. scit hoc Nepos et Cassius in historia et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. is itaque Saturnus Creta profugus Italiam metu filii saevientis accesserat, et Iani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit ut Graeculus et politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam idem de suo nomine et Ianiculum Ianus . . reliquerunt. homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit. Quem Minucii locum bis compilavit Tertullianus (ad nat. II 12 et apolog. 10), cuius verba non attinet exscribere, compilavit etiam Lactantius div. inst. I 13, 8 omnes ergo non tantum poetae, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores hominem fuisse (sc. Saturnum) consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt, Graeci Diodorus et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro. En Varronis nomen obvium, quod cum alibi quotiens offendimus, magno afficiamur gaudio, hic non possumus non in dubitationem vocare narrationis illius auctorem indagaturi. Lactantium enim, cum quattuor ceteros auctores, Diodorum Thallum Nepotem Cassium, ex Minucio sumpserit, quintum Varronem de suo addidisse apparet: quod quo iure quemve ad finem fecerit quaerendum est. Pergit enim ita (§ 9): nam cum agresti quodam more in Italia viveretur,*

*is genus indocile ac dispersum montibus altis  
composuit legesque dedit Latiumque vocari  
maluit, his quoniam latuisset tutus in oris*

(Verg. *Aen.* VIII 321 sqq.) 10 censeatne aliquis deum esse qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? nemo tam stultus est. qui enim fugit aut latet, et vim et mortem timeat necesse est. Quae aperte ex Minucii verbis expressa sunt; ne Vergilii quidem versus Lactantius ipse addidit: sensit quippe vir doctissimus eos ipsos a Minucio haud obscure significari. Sed Varronis nomen ipse adiecit. Varronis sane fuit illa de Saturno Italiae gentes ex fera vita altius provehente sententia, quam ita habebat in deliciis, ut saepissime iteraret, cf. praecipue Augustin. *de civ. dei* VII 19 et quae composuit Schmekelius *de Ovidiana Pythagorae doctrinae adumbratione* (1885) p. 27 sq.<sup>1</sup> Quid, quod ipsos illos Vergilii

<sup>1</sup> Quod Minucius refert a Saturno primo homines edoctos esse

versus apertam ostendere Varronianae sententiae imitationem demonstravi Fleckeis. ann. suppl. XIX (1892) 425 sq. luculentissimi quod praebet Lactantius testimonii tum etiam immemor. Ergo res ita se habet: Lactantius cum Minucii verba legeret scriptores ab illo citatos evolvere supersedit, sed in mentem ei venit quod de Saturno Italiae regnatore apud Varronem identidem legerat: cuius nomen ab ipso additum est ceteris auctoribus, sed ita, ut ad sequentia tantum spectaret, quae Varroniana esse etiam aliunde, ut exposui, cognitum habemus: minime igitur etiam ea quae praecedunt apud Minucium et Lactantium de Alexandri illa epistula ex Varrone sumpta esse Lactantii quidem testimonio efficitur.

Varronis nomen certa ratione ex serie ceterorum auctorum sublatum ratione non minus certa restitui posse spero. Initium faciamus a Minucii loco. Minucius praeter Homerum Platonem Herodotum apologetas Christianos nullum scriptorem Graecum in conficiendo opere adhibuit: Ciceronis libri de natura deorum ei suppeditant arma, quibus gentilium superstitionem prosternat, Vergilique versibus orationi passim intermixtis etiam poetas cum Christianis saepe consentire demonstrat: qua in re eius exemplum secuti sunt et Arnobius et Lactantius, qui et ipsi, si Clementis Alexandrini et Hermetis scripta Graecis illis auctoribus addis, scriptores Graecos prae Latinis neglegunt. At ne Varronianae quidem doctrinae vestigia apud illos passim obvia apud Minucium inveniuntur. Iam vero cum ipse Cornelii Nepotis nomen afferat, quin ex hoc sua sumpserit ex eoque Cassii testimonium addiderit, nullus dubito: nam quos cum his coniunctos citat scriptores Thallum et Diodorum<sup>1</sup>, eorum notitiam Minucio ex apologetis potius venisse puto, qui in re simili aut alterum aut utrumque commemorant, cf. Theophil. ad Autol. III 29 et Iustin. coh. ad gent. 44 B. Nepos, ut ex Minucii verbis elucet, a Cassii Heminiae auctoritate pendet,

---

aera signare, id secundum Varronem tradunt Tertullianus *apolog.* 10 et Macrobius *sat.* I 7, 22. Cf. Samter *Quaestiones Varronianae* (1891) p. 6.

<sup>1</sup> Diodori locus quem denotat Minucius hic est: I c. 13, 3 ἐνιοι δὲ τῶν ἱερῶν φασι πρῶτον Ἡφαιστον βασιλεῦσαι, πρὸς εὐρητὴν γενόμενον . . . (4) μετὰ δὲ ταῦτα τὸν Κρόνον ἄρξει, καὶ γήμαντα τὴν ἀδελφὴν Ῥεάν γεννῆσαι . . . Δία τε καὶ Ἥραν, οὓς δι' ἀρετὴν βασιλεῦσαι τοῦ σύμπαντος κόσμου. Miror Brandt ium inter testimonia Lactantii verbis ascripta afferre alium locum Diodori (V 66) prorsus alienum. Vulgo quem laudant Diodori locum (III c. 61), eo de Saturno rege quaedam leguntur, non item de Vulcano.

atque quamquam per se minime negandum est fieri potuisse, ut Nepos ipsum illum antiquum annalium scriptorem legerit, tamen hoc loco quin alio auctore, qui Cassium inter et ipsum de eadem re scripsit, h. e. Varrone, usus sit mihi quidem dubium non est, cum cetera quae de Saturno adnectit Minucius aperta Varronianae originis indicia prae se ferant. Accedit etiam, quod Varroni epistulas Alexandrum inter et Olympiadem mutuo scriptas non ignotas fuisse (quamquam quid ille non norat?) his verbis comprobatur, quae ex loghistorico cui inscriptus erat titulus *Orestes de insania* servavit Gellius XIII 4: *in libro M. Varronis qui inscriptus est Orestes de insania Olympiadem Philippi uxorem festivissime rescripsisse legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem scripsisset . . . , Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam e. q. s. De una re video posse dubitari. Cur enim Nepos, si re vera Varronem adhibuit, eius nomen reticuit? responderi potest, morem hunc in citandis auctoribus fere sollemnem fuisse; at nolo refugere ad argumenta vilia: praesto enim causa est, cur ne potuerit quidem ille Varronem laudare eius sententiae auctorem; is enim deos quos selectos dicebat tantum aberat ut homines fuisse crederet, ut hac sententia impugnata ad rationem physicam illorum numina interpretaretur: cf. Augustin. l. XVIII c. 15 *de huius Pici patre Saturno viderint quid sentiant talium deorum cultores, qui negant hominem fuisse; de quo et alii scripserunt, quod ante Picum filium suum in Italia ipse regnaverit et Vergilius notioribus litteris dicit* (sequuntur Aeneid. versus l. VIII 321 sqq.). *sed haec poetica opinentur esse figmenta et Pici patrem Stercen potius fuisse adseverent e. q. s.:* ubi Varronis sententiam referri constat, cuius physicam in Saturni numine interpretando rationem vide apud Augustinum l. VII 19. Itaque Varro, qua erat paene incredibili omnia conquirendi industria, refellendi causa etiam eorum attulerat sententiam, qui deos illos selectos olim homines fuisse censerent: atque hoc quidem unum recte in hac re intellexit etiam Frickius l. c. p. 40 sq., contra prorsus errat Schwarzzius *De Varronis apud sanctos patres vestigiis* (Fleckeis. ann. suppl. XVI 1888) p. 429 et 482.*

Ex his etiam Augustini locum illum de Alexandri epistula ex Varronis libris sumptum esse efficitur<sup>1</sup>. Id autem equidem

<sup>1</sup> Miror hunc Augustini locum fugisse eos viros doctos, qui Lactantii verba illa Varronis nomine freti inter huius fragmenta receperunt

diiudicare non audeo, utrum haec a Varrone scripta fuerint in libris antiquitatum divinarum an in loghistorico de deorum cultu; video enim esse quae utrique sententiae faveant: Augustinus enim fabellam illam de Alexandri epistula altero loco (VIII 5) ita coniungit cum simili de Numae libris narratione, ut alteram cum altera etiam apud Varronem coniunctam fuisse conicere possis: de Numa autem Varro copiosissime exposuerat in loghistorico, ex quo Augustinus VII 34 eadem refert. Versa vice cum secundum eundem testem (XVIII 15) in antiquitatibus Varro eorum sententiam impugnaret, qui Saturnum hominem fuisse crederent (v. supra), non facile aptiore loco fieri potuisse fatendum est mentionem illius epistolae. Fortasse igitur utroque loco eandem rem protulerat Varro, homo suorum inventorum amatissimus.

Argentorati.

E. Norden.

---

Merkelius Ovidi fastorum p. CCXXII (= fr. ant. div. lib. XVI 9) et Schwarzzius l. c. p. 482 n. 10d.

---